

b. t. Concordant can. *Denique*, dist. 21, et c. *Antiqua*, 23, de *Privileg.*; *Speculator*, tit. de *Legato*, § *Sequitur videre*, num. 4; *Pirhing*, b. t. n. 17, et alii.

27. *Cardinali asserenti se esse legatum Sedis Apostolice*, creditur absque exhibitis litteris : *secus est in aliis*. — Tertio, cardinali asserenti se esse legatum Sedis Apostolice, circa ordinariam hujus potestatem creditur, etiamsi litteras non exhibeat suae legationis testes, arg. can. *Nobilissimus*, dist. 97; *Barbosa*, lib. I. *Jur. eccles. univ.*, cap. IV, n. 63; card. *Tuschus*, Litt. C. concil. 103, num. 4 et 5; *Vallensis*, h. t. § 2, n. 4, et alii. Idque propter excellentiam et auctoritatem cardinalis S. R. Ecclesiae, atque ex aequitatis decoro fieri debere, inquit Layman, in c. *Quod translationem*, n. 5, h. t. Secus est in alio legato constituto : nam huic non creditur, nisi exhibeat litteras suae legationis, ut cit. can. *Nobilissimus*, et ibi *Glossa*, 1 et 2, et L. un. C. de *Mandat. princip.*; *Azorius*, part. II, lib. V, cap. xxvii, q. 8; *Vallensis*, et alii.

28. *Legatus a latere potest absolvere quoscumque excommunicatos ob percussionem etiam enormem, imo et cædem clerici et undecumque venientes*. — Quarto, legatus a latere potest a die egressus sui ex Urbe, usque ad diem redditus in eamdem, absolvere quoscumque excommunicatos ob percussionem clerici, etiam enormem, sive dein sint subditi, hoc est, de provincia sue legationis, sive extra-nei, ac undecumque venientes, c. *Quod translationem*, 4, h. t. et c. *Excommunicati*, 9, eod. argumento a sensu contrario desumpto; et c. *Ad eminentiam*, 20. de *Sent. excommunicat.*; *Glossa*, in d. c. *Excommunicati*, v. *Mittuntur*, h. t.; *Barbosa*, lib. I. *Jur. eccles. univ.*, cap. v, n. 27; *Azorius*, part. II, lib. V, cap. xxxii, quæst. 6, istud amplians ad tam percutiendum clerici, quæ fit cum cæde, aut sanguinis effusione clerici.

29. *An etiam ab aliis excommunicationibus Papæ reservatis possit absolvere?* — Ab aliis tamen excommunicationibus Papæ reservatis, absque speciali hujus commissione, nequit absolvere legatus a latere : quia istud in jure non reperitur expressum : et ubi ali- quid generaliter est prohibitum, ut puta ab solvere a reservatis Papæ, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum, cap. i, de *Supplend. negligent. prælat.* in 6. et Clem. *Exivi*, § *Porro*, de *Verb. signif.* Simulque in exorbitantibus non fit extensio a easu ad casum, c. *Is qui. de Filiis presbyt.*,

in 6. et c. *Quæ a jure de Reg. jur.*, in *Abbas*, in c. *Excommunicati*, n. 4, h. t.; *Glossa*, in c. *Quod translationem*, § *Reservata*; et *Barbosa*, ibid., num. 2, h. t. cum aliis docens, quod in generali commissione legati a latere non transeant casus Papæ reservati. Verumtamen idem *Barbosa*, lib. I. *Jur. eccles. univ.*, cap. v, n. 26, limitat hoc in illis, quæ specialiter sunt solita concedi legatis : nam talia veniunt generali mandato legati, quamvis essent de Papæ reservatis. Quinimo *Azorius*, cit. quæst. 6, et *Barbosa*, d. cap. v, n. 27, censent, quod legatus possit absolvere ab aliis excommunicationibus Papæ reservatis : nisi excommunicatione ita fuerit Papæ reservata, ut in ipsa constitutione expresse dicatur, quod a nullo alio, nisi a Papa, pos sit quis absolvit; prout fit in Clem. *Gravis*. de *Sentent. excomm.*, et alibi.

30. *Et quid dicendum de legato missio, ac nato?* — Porro legatus non de latere, seu missus, extra provinciam sibi decretam non potest absolvere excommunicatos pro violenta manuum injectione in clericos : ac intra provinciam absolvit tantummodo subditos suos, non autem aliunde accedentes. Legatus natus vero ne quidem subditis (seclusa speciali commissione) hanc absolutio nem impertiri valet. *Textus*, et doctores in cit. c. *Excommunicati*, h. t.

31. *Legatus a latere potest conferre beneficia, tempore sue legationis vacanta*. — Quinto, legatus a latere potest conferre beneficia, quæ in provincia sibi decreta tempore sue legationis vacant ut c. *Dilectus*, 6, h. t. et cap. i, eod. in 6, cum concordantiis. Imo spectato jure communi, concurrit ipse cum quolibet ordinario provincie sue in collatione beneficiorum; adeo ut inter ipsos, simul et Papam, locus sit præventioni, c. *Si a Sede*, 31. de *Præbend.* in 6; *Nicol. Garcias*, de *Beneficiis*, part. V, cap. III, n. 40 et seqq., allegans decisionem Rotæ in *Una Assisen. beneficii*, 9 martii 1587, coram D. *Orano*; *Barbosa*, cit. lib. I, cap. v, n. 28 et seqq., et communis.

32. *Ac etiam devoluta ad Sedem Apostolicam*. — Potest etiam legatus a latere ex officio legationis conferre beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta, sive ex negligientia, sive ex delicto inferiorum; eo quod gerat vices Domini Papæ in provincia. Idipsum desumitur ex c. *Venerabilis*, 37. de *Præbend.* ubi legatus tale beneficium contulisse legitur; ac notat *Glossa*, fin. in cap. i, h. t., in

6; *Speculator*, tit. de *Legato*, § *Nunc tractemus*, n. 4; *Garcias*, cit. cap. III, n. 20; *Barbosa*, ubi supra, n. 32 et seqq., citans plurimos alios. Confert insuper legatus a latere beneficia ad episcopum devoluta, iisque jure præventionis, dummodo præveniat : habet enim concurrentem cum quolibet ordinario sue provincie in collatione beneficiorum potestatem, ut proxime dictum. *Garcias*, et *Barbosa*, ubi supra, et alii.

33. *Beneficiaque imposterum vacatura sue reservare collationi; et qualiter?* — Quin etiam potest legatus a latere ea beneficia impostorum vacatura sue reservare collationi, quæ cæteroquin potest conferre, c. *Præsenti*, § 1, h. t., in 6; *Speculator*, tit. de *Legato*, § *Nunc tractemus*, n. 2; *Garcias*, cit. part. V, cap. III, n. 34 et seqq.; *Barbosa*, d. cap. VI, n. 53, cum plurimis alii. Ita tamen, ut legatione finita expirant reservationes ejusmodi, quando ad talium beneficiorum collationem nondum est processum : simulque una pendente reservatione, legatus aliam in eadem Ecclesia, vel respectu ejusdem collatoris, aliquatenus non faciat : hoc enim expresse reperitur prohibitum in cit. c. *Præsenti*, § *Ceterum*, h. t. in 6, ubi *Glossa*, et doctores proxime allegati amplius hoc declarant. (ADNOTATIO LXVI.)

34. *Nonnullis tamen beneficiis exceptis; et quibus?* — Excipluntur tamen hinc Ecclesiæ cathedrales, ac regulares, et collegiate; hoc est, dignitates principales de dictis Ecclesiis, puta, episcopatus, abbatia, prioratus, et his similia, c. *Deliberatione*, 4, juncta *Glossa* § *Ecclesiæ*, h. t. in 6. Item dignitates post episcopatum majores in Ecclesiis cathedralibus, quæ sunt electivæ : nam tales non potest legatus a latere conferre, aut sibi reservare, cit. c. *Deliberatione*, etsi secus sit de canoniciis dictarum Ecclesiarum, ut notat *Glossa*, ibid., § *Ecclesiæ*. (ADNOTATIO LXVII.)

35. *An is possit conferre beneficia Papæ reservata? Ac præsentim vacanta in curia?* — Insuper legatus a latere non potest conferre beneficia per Papam sue collationi specialiter, vel generaliter reservata, sine ejus commissione speciali, *Barbosa* ubi supra; *Garcias*, cit. cap. III, n. 53, post. Rotam in *Regens. canonicius* 17 nov. 1595; *Azorius*, part. II, cap. xxviii, quæst. 15; *Pirhing*, h. t. n. 25, et alii : nam in reservatis Summo Pontifici legatus non potest se intromittere absque speciali mandato c. *Quod translationem*

nem, h. t. Quin etiam, quamvis legatus habeat speciale facultatem conferendi beneficia reservata, idcirco non potest conferre beneficia vacanta in curia, nisi hoc ipsum specialiter et expresse eidem fuerit concessum, juxta textum notabilem in c. *Licet Ecclesiarum* 2, de *Præbend.* in 6; *Garcias*, loc. cit. n. 53. Addit *Barbosa* cit. cap. v, n. 47, post *Erasmus* a *Cockier*, quod legatus etiam non possit conferre beneficia, quæ ad collationem episcopi spectant jure speciali, seu delegato a Papa.

36. *Vel beneficia juris patronatus?* — Ultius legatus a latere nequit conferre beneficia juris patronatus laicorum, quando istis ius illud competit ex fundatione vel dotazione. Idque fit ex eo, ne patroni ex suis bonis patrimonialibus fundantes, aut dotantes Ecclesiæ, facile priventur jure suo, siecum ipsi, tum alii retrahantur a fundatione, et dotazione aliarum Ecclesiarum, c. *Cum dilectus*, 28. juncta *Glossa* § *Quempiam presentare*, de *Jure patron.* et alia *Glossa* in Clem. *Per litteras*, § *Apostolicis de Præbend.*; *Rebuffus*, in *Praxi benefic.* tit. *Forma signaturæ* § *Tertia pars signaturæ*, § *Nec non juris patronatus*, n. 30; *Garcias* d. part. V, cap. II, n. 93 et alii. Idque etiam procedit in beneficiis juris patronatus mixti : quia adhuc talia legatus ille conferre non potest, rationem jam allatam; *Federicus de Senis* consil. 65. § *Ad primum*; card. *Tuschus*, lit. L. concl. 172, n. 10; *Barbosa*, lib. I. *Jur. eccles. univ.* cap. v, n. 43; *Garcias*, loc. cit. n. 67, et alii. Secus dicendum de beneficiis juris patronatus ecclesiastici : nam ista legatus a latere potest conferre, etiam non facta mentione, vel derogatione dicti juris patronatus laicorum ex privilegio, vel præscriptione dumtaxat acquisiti : quia in his cessat ratio retractionis a fundatione, vel dotazione Ecclesiarum, de qua superius, ac proin bene potest talia legatus conferre. *Federicus de Senis*, ubi supra, card. *Tuschus*, d. concl. 172 n. 3. *Garcias*, loc. cit. n. 172; *Barbosa*, n. 46 et alii.

37. *Aut litigiosa? Vel vacanta in mensibus alternis ubi vigent concordata?* — Rursus non potest legatus conferre beneficia litigiosa cap. I. et II. *Ut lite pendente*, etc. Generaliter enim lite pendente nihil est innovandum, ne inde collitiganti quoquo modo præjudicium generetur, vel causa ipsius durior evadeat. Insuper probatius est legatum a latere non posse conferre beneficia, in mensibus alter-

ni p̄eveniendo ordinarios collatores contra mentem concordatorum inter Sudem Apostolicam et certas nationes initorum, ut in Germania : talia enim concordata habent rationem pacti cui nec Summus Pontifex derogare solet, quamvis absolute de plenitudine potestatis sua posset. Pirhing, h. t. n. 23, vers. *Licitur* 3, licet contrarium teneat Garcias cit. cap. III, n. 42, et seqq. allegans pro se decisionem Rotæ.

38. Legatus a latere potest prælatis exemplis eligantur in episcopos, concedere licentiam deserendi monasterium. — Tandem, ut non nullæ aliae horum legatorum prærogativæ faciantur, de quibus fuse Barbosa cit. lib. I. *Juris eccles. univ.* cap. v. per totum tractat, legatus a latere, utpote quā majus omnibus post Romanum Pontificem in provincia sibi decreta imperium habere dñoscitur, potest prælatis exemplis, ac Ecclesiæ Romanæ immediate subjectis, si eligantur in episcopum, concedere licentiam desiderandi suum monasterium, et ad Ecclesiam sui episcopatus transeundi, c. *Si Abbatem*, 36 § 1, de *Electio*., in 6.

39. Item potest confirmare electiones episcoporum, et abbatum exemptorum. Et quid in Germania, iuxta concordata? — Potest eliam ex officio suo confirmare electiones archiepiscoporum, episcoporum, atque abbatum exemptorum, usi habetur expressum in cit. c. *Si Abbatem*, § *Hujusmodi*, eod. in 6. In Germania vero tam abbatum exemptorum, quam episcoporum confirmatio Summo Pontifici est specialiter reservata in concordatis Germaniæ; prout liquet ex horum tenore § 3; Engel, tit. *de Electione*, n. 5; Pirhing, eod. n. 303.

40. Legati non cardinales nequeunt confirmare ejusmodi electiones, nec beneficia conferre. — Alii vero legali, qui non sunt cardinales, seu de latere, neque possunt ejusmodi electiones confirmare, nisi id eis a Sede Apostolica specialiter fuerit commissum, cit. § *Hujusmodi*. Nec ullatenus valent conferre beneficia, sine alia speciali concessione Pontificia, text. clar. cap. 1, h. t. in 6.

41. An nuntii Apostolici cum potestate legati a latere missi, eamdem cum his potestatem habeant? Ponuntur rationes sententiae affirmativa. — Quæritur V. Utrum nuntii Apostolici eum potestate legati a latere missi, eamdem cum legatis cardinalibus potestatem habeant? Affirmat Garcias, part. V. *de Beneficiis*, cap. III, n. 82, et Zoesius, h. t. n. 15, hinc inferens

quod etiam talis legatus possit conferre beneficia, concurrendo cum ordinariis collatoribus; favetque huic sententiae Glossa, fin. cap. I. h. t.; tum quia dicta clausula «quidam debet operari,» ne sit superflua; tum quia, L. I. ff. *de Tutorib.*, proconsul, et proconsulari potestate prædictus, inter se æquiparantur; idem ergo dicendum in proposito. His tamen non obstantibus,

42. Negativa sententia, loquendo de extraordinariis illorum concessionibus probatur. — Resp. I. Speciales, ac extraordinariæ concessiones legatorum a latere, non extenduntur ad legatos non cardinales cum potestate legati a latere missos, nisi quatenus ille exprimuntur in litteris legationis ipsorum. Ita Barbosa, cit. lib. I. *Juris eccles. univ.*, cap. v. n. 4, citans Erasm. Cockier de *Jurisdict. ordin. in exemplis*, p. 2. q. 2, 6. et Rochum, tract. de *Consuetud.*, n. 323; Engel, h. t. n. 7, post *Piasecum in Praxi episcop.* p. II, cap. v. n. 9. Ratio est: quia titulus ille, «Nuntius apostolici cum potestate legati a latere,» non habetur illo jure scripto, sed solum de stylo curiae Romanae sicut adjici legatis missis, qui a Papa vivæ vocis oraculo mandatum accepterunt, ac fimbriam vestimenti ejus tetigerunt, ut quoad hoc salvæ sint ac privilegiati, arg. c. *Per tuas, de Majorib. et obed. et tradit Hostiensis in Summa*, h. t. num. 2. et Speculator, tit. *de Legato*, § *Sequitur videre*, in princ. Atqui generali concessione non veniunt ea quae sunt speciali nota digna; ut est collatio beneficiorum, quae speciem quamdam donationis præ se fert. cap. ult. *de Offic. vicarii*, in 6; ergo. Accedit, quod vicarius generalis episcopi vi officii sibi generaliter commissi non possit conferre beneficia, nec alia graviora, et extraordinaria facere, nisi hoc ipse specialiter fuerit commissum. Text. clar. cap. II. et ult. eod. in 6, haud obstante quod idem censetur esse auditorum episcopi et sui officialis c. *Non putamus*, 2. *de Consuetud.* in 6. Item ergo, servata proportione, dicendum in proposito. Quinimo in cap. I, h. t. in 6, expresse negatur ex ipsius legationis munere concedi legatis facultatem conferendi beneficia, nisi hoc alieni eorum specialiter indulgeatur, aut nisi sint legati cardinales.

43. Solventur rationes in oppositum. — Nec obstant rationes n. 34, in contrarium allatæ. Non prima: quia vi illius clausula potest nuntius Apostolicus cum potestate legati a latere missus, absolvere quoscumque exem-

municatos ob percussionem clerici, etiam undecimque venientes. Pirhing, h. t. n. 28. Nam virtute talis clausula videtur ejusmodi legatis amplius a Sede Apostolica concessum quam cæteris legatis missis, arg. c. *Excommunicati* 9, h. t. ac notal Glossæ magna ibidem, merito tamen negans quod possint conferre beneficia, nisi eis specialiter fuerit concessum. Addit Engel, h. t. n. 7, dictam clausulam non superfluere, sed operari relative: quia se refert ad mandatum Pontificium, et concessiones in eo contentas, quæ in ampliori forma solent dari talibus legatis, quam aliis. Nec secunda: quia in cit. L. ff. *de Tutorib.*, agitur solummodo de potestate dandi tutorum: quæ cum nulli sit prejudicialis, imo potius deserviat in bonum pupillorum rectumque gubernium reipublicæ, non mirum quod in ordine ad hanc æquiparetur proconsul, et proconsulari potestate prædictus; inde tamen non sequitur hoc ipsum esse dicendum etiam de extraordinariis, ac speciali nota dignis concessionibus.

44. Quibus modis finiatur officium legati Sedis Apostolice. — Quæritur VI. Quibus modis finiatur officium legati Sedis apostolicæ? Resp. cum Glossa in c. *Præsenti*, ¶. *Finitur*, h. t. in 6, et aliis, istud contingere multis modis. I. Finito præfixo tempore, si legatus fuit constitutus ad determinatum tempus, arg. c. *de Causis 4. de Offic. delegat.* II. Morte ipsius legati, quando legatio fuit personalis. III. Revocatione, seu quando Papa legatum revocat. Quod intellige, quando revocation illa jam fuit legato intimata: alias enim, si revocationem legatus ignoret, valida erunt

que gerit, c. *Audita*, § *Qui tamen, de Restitut. spoliat.* Atque de hisce tribus modis amplius in simili dictum est supra tit. præc., § 6, agendo de cessatione officii judicis delegati.

45. An id finiatur per egressum legati e provincia sua? — IV. Finitu officiū legati, quando is egressus est provinciam sibi commissam animo non revertendi, arg. c. h. t. Secus, quando fuit legatus in pluribus provinciis: quia tunc egressus unam, nondum amittit jurisdictionem super eam; cum legatus in qualibet parte sue legationis existens, jurisdictionem exerceat, ita ut negotia unius loci possit in alio explicare, c. *Novit*, 7, h. t. estque jam dictum supra n. 21. Imo etiam in legato a latere hoc est speciale, quod donec reversus sit in Urbem, posset absolvere quoscumque et undecimque accedentes, ab excommunicatione ob percussionem clerici contracta; nam etiam proconsul, cui æquiparatur legatus a latere, juxta Glossam in c. *Legatos*, ¶. *Proconsulum*, h. t. in 6, portam Romanam ingressus primum deponit imperium, L. ult. *de Offic. proconsul*.

46. Cessat etiam illud relatione negotii ad Papam. — V. Cessat officium legati relatione negotii ad Papam: siquidem causa quacunque ad Summum Pontificem relata, legatus in ea amplius procedere non potest, sicque desinit esse judex illius, c. *Licet*. 5. h. t. Plura de officio legati videri possunt apud Speculatorem, tit. *de Legato*, Hostiensem in *Summa*, h. t.; Barbosam, lib. I. *Jur. eccles. univ.* cap. v, per totum, et alios ab ipso citatos. (ADNOTATIO LXVIII)